



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Concilium Ephesinum generale tertium.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

catum fuit , ejusq[ue] legati eidem præsederunt .
lique & reliqui Episcopi litteris datis eum rogā-
runt , ut Concilii sententiam suā auctoritate fir-
maret . Quod & fecit . Et idem testatus est in
Epist . ad Alexandrinos , iis de restitutione S .
Athanasii gratulans . Lege hæc fusiūs in actis
Concilii .

*Concilium I. Constantinopolitanum
vulgò secundum generale dictum.*

Habitum hoc Anno 381 . ei interfuere cen-
tum & quinquaginta Communionis Ca-
tholicæ Episcopi . Hi omnia Nicænæ Synodus
decreta firmant , & anathematizant hæreles
Arianorum Semi-Arianorum contra Dei filium
vel Spiritum sanctum . Can . 3^o habentur hæc
formalia : *Constantinopolitana civitatis Episco-
pum habere oportet primatū honorem post Romā-
num Pontificem , propterea quod sit nova Romā .*
Hoc concilium per hoc valorem œcumenicū ac-
cepit , quod ejus fidei definitionem Damasus
Papa comprobārit . Ut legere est fusiūs in actis .

Concilium Ephesinum generale tertium:

Habitum Anno 431 . ei interfuere univer-
sim Episcopi plures quam ducenti ; qui
subscripsere condemnationi Nestorii , & sen-
tentiam die post finitum consilium miserunt
Nestorio , quæ sic incipit : *Sancta Synodus
per gratiam Dei congregata Nestorio novo fida
Con-*

Concilium hoc iure optimo inter cœcumē nicas
Synodos legitimē indictas & approbatas semper
numeratum est. Nam fuit Episcoporum ex
tegnis omnibus conventu celebratum, & Cœ-
lestini Romani Pontificis autoritate coactum.
Dein quæ de recta fide adversus Nestorium san-
xit, ab eodem Cœlestino non approbata modo
sed præscripta etiam fuerunt. Quia ante hoc
councilium Cœlestinus Papa post Cyrilli & Ne-
storii litteras ac libellos acceptos Romanam Sy-
nodum habuit, in qua sententiam tulit, quam
S. Cyrillo mandavit exequendam, eumque huic
Ephesino concilio suo nomine præfere jussit.
Misit præterea tres Româ legatos, qui eodem
anno venere Ephesum 10. Julii. Inter quos
Philippus Presbyter Sess. 3tiā, ut in actis Conc.
videre est, sic Patres affatis est. Nulli dubium
est, quod S. Petrus Apostolorum Princeps & Ca-
put fideiique columnā, & Ecclesia Catholicæ funda-
mentum à Domino nostro JESU Christo claves
regni accepit, solvendique ac ligandi peccata po-
testas ipsi data est. Quid ad hoc usque tempus, &
semper in suis successoribus vivit, & iudicium ex-
eret. Hujus itaque secundum ordinem successor
& locum tenens S. Papa noster Cœlestinus nos ipsius
presentiam supplentes ad hanc Synodum misit &c.
Prælectis autem ante adventum horum legato-
rum actis in Synodo hac & examinatis, legati
hi tres subscripsere iis, & damnationi Nesto-
rii, quain Cyrus misit Imperatoribus. Epi-
scopi autem vatii Orientales, qui priùs in con-
ciliabulo aliquo Nestorio adhæserant. Viden-

tes Pontificiam Concilii Ephesini confirmationem tandem id recipiunt, Nestorium anathematizant, & de his certiorem faciunt Sextum Papam.

Concilium Chalcedonense generale quartum.

Habitum Anno Christi 451, ei interfuere quingenti & viginti Episcopi. Sub ejus initium ita fari orsus est Paschalinus Episcopus & Vicarius Sedis Apostolicæ. Beatissimi arque Apostolici Viri. Papæ urbis Romæ, qui est caput omnium Ecclesiarum, precepta habemus præmibus &c. Et postquam Act. i. Diocoro objec-
ta fuere sequentia: *Synodum ausus est facere sine autoritate Sedis Apostolica, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Cùm Ecclesiasticus Canon prohibeat, ne absque Romani Pontificis au-
toritate in Ecclesia decreta sanctarentur, &c. In
tertia Sessione Diocorus condemnatus & depo-
situs est. Plura vide in Actis hujus Concilii me-
moranda inter cætera sunt verba sequentia in
secunda sessione. Amplissimus Magistratus, qui Cæsaris loco aderat, decreta Concilii & Pa-
trum percepturus, *scire vos volumus;* ajunt,
quia tam piissimus orbis Dominus (Imperator)
quam nos, Catholicam fidem à Sanctis 318. (in
Conc. Nicæno) & Sanctis 150. [in Conc.
Constantinop. 16.] nec non etiam à ceteris sanctis
Patribus traditam custodimus, & secundum ipsam
credimus, &c. Utinam semper taliter locuti fuissent & sensissent Principes & sæculares Magi-
stratus